



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Cap. I. De Prudentia & Vitiis ei oppositis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

CAPUT PRIMUM.

De Prudentia, & Vitiis ei oppositis.

I. **P**Rudentia est virtus, qua certò novimus, quid in quavis particulari actione agendum sit tanquam honestum, vel fugiendum tanquam turpe, in ordine ad finem ultimum: nam agitur hîc de perfecta prudentia, quæ proposito vero, & ultimo fine totius vitæ humanæ, nempe Deo, seu Dei gloria, & possessione, præscribit media ad hunc finem apta. Est virtus Moralis tum objectivè, quatenus versatur circa eandem materiam, decernendo, & dictando, quid virtus moralis prosequi, & quid fugere debeat: tum directivè, quatenus dirigit voluntatem ad eliciendos actus semper honestos, & fugiendos inhonestos. Non residet tamen in voluntate, sed in intellectu, unde dicitur virtus intellectualis, morum doctrix.

II. Prudentiæ actus sunt benè consultare, rectè judicare, & præcipere executionem.

III. Peccata specialiter Prudentiæ opposita, alia sunt per defectum, scilicet 1. Præcipitatio, & inconsideratio, quæ sunt peccata ejusdem speciei, & gravitatis, cujus sunt illa, quibus homo se exponit præcipitanter, & inconsideratè judicando, vel agendo: nam eodem præcepto prohibentur. 2. Mentis inconstantia, qua sine justa causa mutatur sententia. Est mortalis quando quis ex voto, vel charitate, vel

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS. 5

vel alio præcepto tenetur graviter perseverare in sententia. 3. Negligentia, quæ est mortalis, vel venialis prout quis negligit id, ad quod graviter, vel leviter obligatur, aut adit periculum graviter, vel leviter peccandi.

Alia sunt per excessum nempe 1. Prudentia carnis, quæ proposito malo fine, nempe bono creato inordinatè expetito, præscribit media ad hunc finem assequendum apta; est mortale ei obsequi in re gravi; nam Rom. 8. *Prudentia carnis mors est ... Sapientia carnis inimica est DEO, legi enim DEI non est subiecta.* 2. Astutia, quæ est notitia mediorum pravorum, occultorum, ad fallendum aptorum, cum affectu exequendi conjuncta. Est mortalis vel venialis pro ratione affectûs, cui subest, & damni, quod proximo obvenit, & pravitatis medii. Ad hanc revocantur dolus, & fraus, quæ in eo inter se differunt, quòd dolus sit astutiæ executio sive verbis, sive factis; fraus autem solis factis. 3. Nimia sollicitudo temporalia acquirendi, vel conservandi, quæ prohibetur Matth. 6. *Ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis, &c.* Mortalis est, cum ex sollicitudine violatur gravis obligatio, vel cum in re creata ponitur finis ultimus; ut facit is, qui ex affectu illius peccat mortaliter, vel sic peccare paratus est, potius quàm re illa carere.